



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 34. Excommunicationis comminatio Gastoni ab Alecensi Episcopo
intentata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

„pore Pastorales curas sustinenti, qui-
 „que religioni sibi & conscientiae om-
 „nino duceret, silentium tenere in tanti
 „momenti negotio &c.

Sæc. XVII.
 A. C. 1676.

§. XXXIV.

*Excommunicationis comminatio Ga-
 stoni ab Aleſtensi Episcopo
 intentata.*

Sub idem tempus Joannes Petrus Ga-
 ston de Foix Coutracensis Diæcesis
 Presbyter Decanatum, necnon Ale-
 ſtensis Ecclesiæ Cathedralis Canonica-
 tum, vivente adhuc Petro Pommiero
 ejusdem Ecclesiæ Decano vi regalia-
 rum a Regiis Ministris impetraverat,
 re autem comperta Aleſtensis Episco-
 pus adversus hanc usurpationem die
 quinta Maij hoc anno mandatum pro-
 mulgavit, illudque præfato Gastoni le-
 gitime insinuari fecit, prohibens, ne se
 beneficiis præfatæ Diæcesis, obtentu
 Regaliæ, ingerere auderet, intermi-
 nata anathematis pœna ipso facto in-
 currenda. Verum Gasto insuperhabito
 hoc mandato, se in hujus beneficii pos-
 sessionem ingessit, horisque Canonicis
 sub Decani qualitate ac charactere in-
 terfuit, declarans, se deinceps omnes
 hujus beneficii functiones peracturum.
 Ea re summopere offensus Episcopus,

G 4. prius-

Sæc. XVII. priusquam Gastonem excommunica
A. C. 1676. tum declararet, ex juris præscripto
 ad obtemperandum die decima septima
 Octobris admonuit, transmissis sequenti
 mandato: „Cum Joannes Petrus Gaston
 „de Foix &c. saluberrimas exhortatio-
 „nes nostras neglexit, quibus, dum
 „heri nos conveniret, in spiritu leni-
 „tatis & charitatis delinire eum conati
 „sumus. Id autem, cum non solum in
 „Ecclesiæ contemptum cedat, verum
 „etiam sacrorum Canonum decretis
 „receptisque in hoc regno legibus ad-
 „versetur, quibus sancitum est, nemi-
 „nem solius Regaliæ titulo, suis bene-
 „ficiis, quibus pacifice fruebatur, spa-
 „liari posse, nisi prius coram legitimo
 „iudice conventum, damnatumque
 „adeo ut huiusmodi violentis conati-
 „bus non solum jura libertatesque Ec-
 „clesiæ nostræ pessumdentur, ac cer-
 „suræ in Lugdunensi Concilio super
 „hac re fulminatæ ludibrio habeantur
 „(cujus quidem Concilii decreta de-
 „clarata solum nupero mandato a No-
 „bis sunt, ac præsentī casui applicata
 „verum etiam ut diximus, legibus in
 „nostro Regno receptis, observatisque
 „injuria fiat. Has, inquam ob causas,
 „utque mandato nostro, decretoque
 „Concilii Lugdunensis, cujus initium
 „est: *Generale Constitutio*; satisfiat,
 „monit-

„monitiones canonicas contra sæpe-
 „dictum D. de Foix expediri jubemus;
 „eique virtute earundem monitionum,
 „ne se præfato ingerat beneficio, sed
 „Decretis Concilii Lugdunensis, nostro-
 „que nupero mandato primum obtem-
 „peret, serio injungimus, si vero obtem-
 „perare neglexerit, declaramus, eum
 „publice fore denuntiandum atque ex-
 „communicandum; imo excommuni-
 „cationem a Lugdunensi Concilio, no-
 „stroque mandato impositam, ipso facto
 „incurrisse. Quæ quidem monitiones
 „de tertia in tertiam diem eidem insi-
 „nuabuntur, ita videlicet, ut præsen-
 „tes nostræ, postquam ei significatæ
 „fuerint, locum primarum monitionum
 „obtineant. Injungimus etiam primo
 „presbytero, aut Clerico tonsura in-
 „signito, quidquid ad insinuationem
 „aut executionem præsentis hujus no-
 „stri mandati necessarium fuerit, dili-
 „genter, atque incunctanter expediat.

Ut autem Episcopus æmulorum cri-
 minationes, ac sinistras eorum inter-
 pretationes, quas probe prospexerat, a
 Regis animo submoveret, ad eundem
 die vigesima ejusdem Mensis hæc per-
 scripsit: „Vereor equidem, ne Maje-
 „statem Vestram importune molesteque
 „conveniam, tamen cohiberi non pos-
 „sum, ut non omnium reddam certio-

Sæc. XVII. „rem, quæ contra quemdam Ecclesi-
A. C. 1676. „sticum Decanatum, ejusque officia

„Ecclesia nostra cathedrali captantem
„me necessitas coegit experiri. Et ver-
„tantum mihi audeo de clementia
„æquitate Majestatis Vestræ polliceri
„ut persuasum habeam, eam potius
„fidem præstituram, quæ in Majestati
„Vestræ sinum pari libertate ac Re-
„rentia effundam, quam illorum vo-
„bus, qui non omittent, me reddere
„suspectum Majestati Vestræ, measque
„actiones in pejus interpretari. Na-
„rabunt illi, mandatum a me proditum
„quo, non obstante Regii senatus De-
„creto, Ecclesiasticum illum submove-
„bam, commonebamque, ne Regi
„præceptis acquiesceret; cumque per-
„suaderi a me non posset, ut cæpi-
„abstineret, aliud mandatum secutum
„esse, quo ex Disciplinæ Ecclesiasticæ
„legibus premi illum, arcerique jubere-
„bam. At vero si, quod supplex de-
„missusque, ac qua possum Reverentia
„exposco, Majestati Vestræ placuerit
„hanc causam examinare, fatebitur
„ipsa, id a me tantum factum esse
„quod fieri omnino oportuit. Nondum
„exciderit Majestati Vestræ, me jam
„semel datis ad eandem literis, quibus
„rationibus jura & libertates Ecclesi-
„cæ contra Regiam munirentur su-
„gestis

„gessisse, ne ipsa, si modo dignata fue-
 „rit, animum ad ea advertere, inficias
 „iverit, aut Ecclesiam meam a me prodi-
 „debuisse, aut ejus libertati tuendæ,
 „nihil, quod modo in viribus meis
 „esset, intentatum relinqui. Quid enim
 „aliud poteram, quam ut Ecclesiæ pa-
 „rerem, ejusque me legibus dederem?
 „At illa in Concilio generali, quid in
 „hisce angustiis agerem, quemque por-
 „tum subirem, jam facem præluxerat.
 „Testor veritatem, me nihil aliud e-
 „gisse, quam ut Ecclesiæ mandata exe-
 „querer, neque sive me filium, sive Mi-
 „nistrum Ecclesiæ cogitarem, parendi
 „necessitate solvi potuisse. Et hoc ipsum
 „est illud, quo me angi vehementer
 „contestor, in eam videlicet me ad-
 „ductum necessitatem, ut videri possem,
 „Majestatis Vestræ mandatis oblucri,
 „& tamen nemo illam demissius vene-
 „ratur; & cui libuerit, actiones meas
 „in hac causâ metiri, fateri cogetur,
 „nihil a me magis minusque peractum
 „esse, quam necessitas urgeret, ac re-
 „media morbo aptasse, nec prius ad
 „acerba, pœnasque Ecclesiæ deven-
 „tum, quam spe omni consumpta, &
 „cum mitiora non proficerent. Nihil
 „aliorum consiliis, nihil exterorum sug-
 „gestionibus debeo; & si quidem Ma-
 „jestati Vestræ placeat, hoc culpæ ad-
 „scri-

Sæc. XVII.
 A. C. 1676.

Sæc. XVII. „scribere, totum id crimen meum est
 A.C. 1676. „fine complice, sine Magistro deliqui
 „nec ullum admisi erroris socium. Ego
 „hanc causam intime, lenteque disculsi
 „cum videlicet eam cognoscendi mea
 „necessitas & officium premeret. Ego
 „illam omni studio expendi: ego non
 „cursum, nec obiter libavi, sed multo
 „cum cura moraque, non mecum tan-
 „tum, sed etiam cum ipso Deo con-
 „tuli, ejusque gratiam ac lumen, ne
 „forte errore aliquo abriperer, demissi-
 „imploravi. Nec vero in hoc stadium
 „tanti sudoris ac pulveris plenum
 „liam ob causam decurri, quam quod
 „persuasum haberem, nisi id agerem
 „præcipuis mei muneris partibus de-
 „futurum; atque hæc opinio nunquam
 „deleri ex animo meo potuit, imo semper
 „per invaluit. Cum enim gravissimum
 „morbo ultimis annis conflictarer, me-
 „que jam morti accingerem, vehemen-
 „ter animum meum ea cogitatio pulsa-
 „cæpit, qua tangi me, promoverique
 „sentiebam, ut ultimos hujus vitæ me-
 „annos, ac pauca, quæ supererant
 „momenta, Deo unice adjicerem, im-
 „pigreque officio meo perfungerer
 „præcipue in causa Regaliæ, qua im-
 „plicatum me cernebam, novum fide-
 „litatis exemplum post me relinque-
 „rem. Et quia causæ rationesque
 „que

„quæ animum meum primo imbuerunt, Sæc. XVII,
A.C. 1676.
 „semper eædem, ac immutatæ per-
 „sistunt, fieri quoque non potest, ut
 „propositum mutem, aliamque viam
 „insistam. Recordetur Majestas Vestra,
 „me in ea ætate versari, qua nihil a-
 „liud quam vicinam mortem reddend-
 „dasque Deo rationes cogitare jam lu-
 „bet. Infelicissimus ergo & miserrimus
 „fuerim, si, ut quiete ac malacia fruar
 „brevissimi temporis, conscientia meæ
 „vim faciam, ac stimulis, quibus agi
 „me sentio, lubens prudensque obnitar,
 „periturus videlicet momenti amore.
 „Id vero, si agam, fateor, me hac una
 „culpa indignum eo gradu ac digni-
 „tate reddi, in quam me Deus pro-
 „vexit, nullamque mihi amplius fidu-
 „ciam fore pro Majestatis Vestræ, ejus-
 „que Regiæ familiæ sospitate cælestem
 „gratiam implorandi. Equidem per-
 „suasum semper habui, neminem Prin-
 „cipi suo fidelem fore, qui Deo infide-
 „lis esset, eamque semper regulam ob-
 „servandam duxi, quam ab Apostolo
 „hisce verbis consignatam didiceram,
 „videlicet: Deum time, & Regem
 „honora. „